



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 123. Vtrum malum sit natura quædam, inueniatur in rebus, sit in bono, tanquam in subiecto, & corrumpat totum bonum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

quærimus, vtrum mundus sit vnus tantum, quærimus, vtrum omnes creaturæ sint inter se ordinatæ, ita vt constituent vnũ vnitate ordinis, eo pacto, quo domus est vna, ciuitas est vna vnitate ordinis &c. Dicendum cum Sancto Thoma, quod etiam in hoc sensu mundus est vnus, ac non possunt saltẽm connaturaliter esse plures mundi. Ratio est, quia proprium intellectus præsertim sapientissimi est res ordinare, ac est inconueniens, vt faciat aliquid inordinatum, & inconnexum: sed vniuersitas creaturarum facta est à Deo, qui est sapientissimus intellectus: ergo vniuersitas creaturarum est ordinata, adeoque constituit mundum vnũ vnitate ordinis. Addit Sanctus Thomas, quod illi potuerunt ponere plures mundos, qui causam mundi non posuerunt aliquam sapientiam ordinantem, sed casum, vt Democritus, qui dixit ex concursu atomorum factum esse hunc mundum, & alios infinitos. Hinc probabiliter inferitur etiam de potentia absoluta repugnare plures mundos, cum repugnet diuino intellectui producere vniuersitatem creaturarum inordinatam, ac non vnã vnitate ordinis.

5. Ad 1. nego minorem. Ex dictis enim est irrationabile, vt intellectus diuinus producat vniuersitatem inordinatam; sed si darentur plures mundi, darentur vniuersitas inordinata; ergo &c. Ideo Arist. 12. Metaphysicæ t. 52. ex eo, quod mundus sit vnus vnitate ordinis, concludit vnitatem Dei gubernantis: & Plato ex vnitate primi exemplaris, quod est diuina essentia, probat vnitatem mundi, quod est opus exemplatum.

6. Ad 2. distingo maiorem: Deus, & natura semper faciunt quod est melius formaliter, concedo; quod est melius materialiter, nego: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Deus, & natura semper faciunt quod est melius formaliter: sed vniuersitas rerum ordinata melior est vniuersitate inordinata: ergo Deus debet facere vniuersitatem ordinatam; sed vniuersitas ordinata eo ipso constituit mundum vnũ vnitate ordinis: ergo Deus debet facere mundum vnũ vnitate ordinis, ac non plures mundos. At Deus non debet facere melius materialiter, quia in his datur processus in infinitum, & sæpè materialiter melius est formaliter minus bonum, quia aufert conuenientem ordinem, & proportionem, vt explicatum est quæst. 52. in qua disputatum est de necessitate Dei ad faciendum optimum.

7. Ad 3. distingo maiorem: omnia materialia possunt multiplicari numero, excepta ipsa vniuersitate rerum materialium, concedo; non facta hac exceptione, nego. Vniuersitas rerum materialium neque potest multiplicari absolute, cum implicent plures vniuersitates, neque ita, vt sint plures multitudines inconnexæ, vt dictum est num. 4.

QVAESTIO CXXIII.

Virum malum sit natura quedam, inueniatur in rebus, sit in bono, tanquam in subiecto, & corrumpat totum bonum?

S. Th. q. 48. art. 1. 2. 3. & 4.

1. Videtur malum esse quedam natura, primò quia est genus quoddam, siquidem Aristoteles in prædicamentis, cap. de oppositis dicit bonum, & malum esse genera: est etiã differentia in moralibus: nam actus, & habitus mali differunt specie in moralibus per differentias boni, & mali.

2. Secundo cum vnũ contrarium est quedam natura, etiam aliud contrarium est quedam natura; sed bonum est quedam natura, malum autem opponitur bono non priuatiuè, sed contrariè, vt probat Aristoteles in prædicamentis, cap. de oppositis: ergo.

3. Tertio quod non est quedam natura, non agit: sed malum agit, & corrumpit bonum; ergo.

4. Quarto quod spectat ad perfectionem, vniuersi, est quedam natura: sed mala spectant ad perfectionem vniuersi, iuxta illud S. Augustini in Enchiridio: *Ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo, in qua etiam illud, quod malum dicitur, bene ordinatum, & suo loco positum eminentius commendat bona &c.* ergo.

5. Quinto videtur ex alia parte malũ non esse in rebus. Nam si esset in rebus, vel esset ens, vel priuatio; sed neque est ens, neque priuatio iuxta illud Dionys. cap. 4. de Diu. nom: *Malum dicitur ab existente, & adhuc plus distat à non existente:* ergo.

6. Sexto si malum esset in rebus, esset ens quoddam, siquidem ens, & res conuertuntur: ergo si malum non est ens, res, & natura, non est in rebus.

7. Septimo Deus facit quod est melius: sed sicut albius est quod est impermixtius nigro, vt docet Arist. 3. Topic. cap. 4. sic melius est quod est impermixtius malo; ergo Deus facit bona non mixta malo, ac proinde in rebus à Deo factis non datur malum.

8. Octauo videtur malum non esse in bono, tanquam in subiecto. Nam bonum est existens; sed iuxta Dionysium cap. 4. de diu. nominibus malum non est existens, neque est in existentibus: ergo.

9. Nono vnũ contrarium non est in alio contrario tanquam in subiecto: sed bonum est contrarium malo; ergo malũ non est bono tanquam in subiecto.

10. Decimo sicut albedo reddit subiectum album, sic malum reddit subiectum malum; ergo si bonum esset subiectum mali, bonum esset malum, contra illud Isai. 5. *vt qui dicitis bonum malum, & malum bonum.*

11. Undecimo videtur malum corrumpere

pere totum bonum. Nam vnum contrarium corrumpit totaliter aliud contrarium, ac præsertim cum non est infinitum, paulatim illud minuendo, totaliter absumit.

12. Respondeo, quod hic agimus de malo, in quantum abstrahit à malo physico, vel morali, quod malum morale est peccatum. Circa malum igitur abstrahens à physico, & morali plures sunt quæstiones. Primò quæritur, vtrum malum formaliter sit ens, & natura quædam, an potius sit negatio, priuatio, ac remotio entis?

13. Dicendum cum S. Thoma art. 1. quæst. 48. malum formaliter non est ens, ac natura, sed est negatio, vel priuatio, ac remotio entis.

Probat: nam omne ens in quantum ens, & omne esse in quantum esse est bonum: siquidem omnia appetunt esse: bonum autem est, quod omnia appetunt, vt Aristoteles docet 1. Ethic cap. 1. ex eoque omnes; sed nullum malum ex sua ratione formaliter est bonum: ergo nullum malum ex sua ratione formaliter est ens, ac proinde nec est natura, vel essentia, quæ dicitur ab esse: sed neque potest dici, quod malum ex sua ratione formaliter præscindat ab ente, & non ente, alioquin præscinderet etiam à bono, ac non bono: ergo malum ex sua ratione formaliter est non ens, adeoque est negatio, vel priuatio, ac remotio entis, vt iam explicabitur. Ideò Sanctus Dionys. cap. 4. de diuinis nominibus dicit: *Malum est non existens, neque bonum.* Confirmatur ex patribus Græcis, & Latinis vnanimiter docentibus malum non esse ens, quorum testimonia commodius referentur infra in tract. de peccatis.

14. Quæritur secundo, vtrum in rebus, ac entibus inueniatur malum?

Respondeo affirmatiuè cum Sancto Thoma hoc art. 2. quæst. 48. Probat: nam vt cum Sancto Thoma quæst. 47. art. 2. diximus quæst. 11. proximè præcedenti num. 16. ad perfectionem vniuersi requiritur inæqualitas rerum, & vt dentur omnes gradus entium, & bonorum; sed primus gradus entium, & bonorum est entium, quæ non possunt deficere à suo esse, & perfectione: secundus gradus est entium, quæ possunt deficere à suo esse, & perfectione; ergo ad perfectionem vniuersi spectat, vt dentur etiam entia, quæ possunt deficere à suo esse, & perfectione; sed ex eo, quod dentur entia, quæ possunt deficere, sequitur, quod aliquando deficient, sicut ex eo, quod dentur entia, quæ possunt corrumpi, sequitur, quod aliquando corrumpantur; deficere autem à bono debito habet rationem mali; ergo ex perfectione vniuersi sequitur, quod detur in rebus malum corruptionis, ac defectus à bono debito.

15. Quæritur tertio, vtrum qualibet remotio boni habeat rationem mali?

Respondeo cum Sancto Thoma artic. 3. quæst. 48. remotio boni posse accipi tum negatiuè, tum priuatiuè, ac non puram nega-

tionem, sed solam priuationem boni esse malam, & habere rationem mali. Probat: nam si pura negatio boni esset mala, sequerentur duo absurda. Primum est, quod ea, quæ nullo modo sunt, essent mala, & malum aliquod haberent; ex. gr. quod alter mundus esset malus, Angeli possibiles, & non existentes essent mali, & malè se haberent, quod est absurdum, & contra communem sensum. Secundo sequeretur, quod qualibet res esset mala, & malè se haberet ex eo præcisè, quod non habet bonum alterius rei: ex. gr. quod homo esset malus ex eo, quod non habet bonum, & perfectionem Angeli; bruta animalia essent mala, & malè se haberent ex eo, quod non habent bonum, & perfectionem hominis. Sola igitur priuatio boni debiti rei habet rationem mali, eo pacto, quo cæcitas est mala animali, quia priuat animal potentia visua debita.

16. Quæritur quarto, vtrum malum sit in bono, tanquam in subiecto?

Respondeo affirmatiuè cum cum S. Thoma art. 3. quæst. 48. Probat: nam idem est subiectum priuationis, & formæ, siquidem priuatio aufert formam à subiecto capaci habendi formam, eo pacto, quo cæcitas aufert potentiam visiuam ab animali capaci habendi potentiam visiuam; sed subiectum commune priuationis, & formæ est in potentia ad priuationem, & formam, ac proinde est capax formæ; capacitas autem formæ, cum sit capacitas boni, est bona: ergo subiectum commune priuationis, & formæ est bonum: ergo malum cum sit priuatio, est in subiecto capaci formæ, ac boni, quod subiectum est bonum, ac proinde malum est in bono, tanquam in subiecto. Ideò August. in Enchirid. cap. 14. dicit, *quod malum non est nisi in bono.*

17. Quæritur quinto, vtrum bonum subiecti totaliter auferatur per malum.

Respondeo cum S. Thoma art. 3. quæst. 48. in subiecto posse considerari triplex bonum; primò, quodquod malum totaliter auferatur: secundum quod per malum diminuitur, sed non auferatur totaliter; tertium, quod nec totaliter auferatur, nec diminuitur.

18. Probat, & explicatur, tum in physicis, tum in moralibus. Cæcitas est malum, per quod totaliter ab animali auferatur bonum potentia visua. Bonum habitatis accidentalitatis animalis ad videndum consistens in quibusdam dispositionibus, potest non auferri totaliter per cæcitatem, sed minui, inductis contrariis dispositionibus. At ipsum subiectum, cæcitatit, quod cum habeat capacitatem videndi, est bonum, per cæcitatem non auferatur, nec minuitur. Proportionaliter per peccatum mortale, quod est malum morale, auferatur totaliter bonum gratia, & amicitia diuinæ. Bonum habitatis accidentalitatis anime ad gratiam non totaliter auferatur, sed minuitur. Cum enim peccata sint impedimentum gratia, quo plura committuntur peccata, eo anima habet

habet maius impedimentum ad recipiendam gratiam, & amicitiam diuinam, ac proinde eo est minus apta, & habilis ad gratiam, & amicitiam diuinam propter impedimentum interpositum. Bonum capacitatis radicalis recipiendi gratiam, & amicitiam diuinam, quod bonum identificatur cum ipsamet anima, vel est proprietas animæ, nec totaliter aufertur, nec minuitur per peccatum. Explicat hoc ipsum Sanctus Thomas exemplo physico. Quo plura corpora opaca interponuntur inter Solem, & aerem, eo magis, & magis minuiturabilitas aeris ad hoc, vt illuminetur à Sole, & si possent interponi corpora opaca plura, & plura in infinitum,abilitas illa minueretur magis, & magis in infinitum;abilitas tamen radicalis aeris consistens in eius diaphanitate, nec totaliter auferretur, nec minueretur; sed peccata sunt quædam obstacula inter nos, & Deum, impediencia ne Deus nos illuminet lumine gratiæ; ergo quo plura, & maiora peccata in nobis sunt, eo magis, & magis minuitur in nobis abilitas accipiendi à Deo lumen gratiæ: sed abilitas, & capacitas radicalis gratiæ identificata cum ipsa essentia animæ, vel ad essentiam animæ consequens per modum proprietatis neque totaliter aufertur, neque minuitur; ergo malum peccati non corrumpit totum bonum subiecti, in quo peccatum est. Ideò S. August. in Enchirid. cap. 12. dicit, *malum non potest totaliter consumere bonum.*

19. Queritur sexto, vtrum malum præsertim morale, licet formaliter non sit ens, & bonum, sed priuatio, tamen semper realiter identificetur cum aliquo alio bono?

Respondeo, quod de hac quæstione expresso egi in tractatu de peccatis, quæst. 30. vbi examinavi quasdam alias quæstiones, & explicavi etiam, quo pacto mala physica erroris, doloris &c. consistant non in aliquo positiuo, sed in priuatione. Ideò nihil hic addendum, ac solum respondendo obiectionibus soluendæ sunt aliæ quædam quæstionculæ.

20. Ad 1. in quo queritur, quo pacto malum si non est ens, & natura quædam, dicatur esse quoddam genus, & quædam differentia constitutiuæ speciei præsertim in moralibus. Dicendum primò cum S. Thoma art. 1. qu. 48. in respons. ad 1. quod Aristoteles præsertim in libris Logicis afferre solet exempla, non solum ex proprijs sententijs, sed etiam ex opinionibus aliorum Philosophorum, quæ eo tempore circumferbantur, tanquam probabiles: sed Pythagorici existimabant malum esse naturam quandam, ac proinde esse propriè genus; ergo non est mirum, quod Aristoteles in Prædicamentis attulerit bonum, & malum vt exempla duorum summorum generum contrariorum. Secundo respondet ibidem Sanctus Thomas bonum, & malum dici duo genera, non simpliciter, & propriè, sed secundum quid, & abusiue. Explicatur: Ex Aristotele 4. metaphysicæ t. 4. & 10. metaphysicæ t. 15. prima contrarietas est habitus, & priuatio, in quan-

tum omnia contraria comparantur, sicut perfectum, & imperfectum, ac proinde sicut forma, & perfectio, & priuatio formæ, ac perfectionis. Malum igitur licet sit priuatio boni, adeoque simpliciter non sit genus, aliquo pacto dicitur genus secundum quid, sicut etiam priuatio est genus quoddam secundum quid, & impropriè. Dum rursus queritur, quo pacto malum, si non est res, & natura quædam, dicatur differentia constitutiuæ speciei. Respondet Sanctus Thomas in resp. ad 2. malum in moralibus esse differentiam constitutiuam speciei actus moralis, non ratione sui, sed ratione alicuius boni adiuncti. Ratio est, quia nemo intendens ad malum operatur, ac proinde qui peccat, intendit aliquid bonum, propter quod facit actum malum; sed actus habent speciem à fine; ergo differentia constitutiuæ actus moralis in sua specie non est malum, sed bonum adiunctum malo: e. g. actus intemperantiæ constituitur in sua specie, non per negationem rectitudinis debitiæ, sed per delectabile sensui, quod intemperans intendit contra ordinem rationis. At actus moralis per malitiam, & priuationem rectitudinis debitiæ, si propriè loquamur, non tam constituitur in specie, quæ ex suo conceptu est quædam perfectio, & pulchritudo, quam in negatione speciei, pulchritudinis, ac perfectionis moraliter debitiæ, vt magis explicabitur in tractatu de peccatis.

20. Ad 2. Respondeo ex dictis, distinguendo minorem: malum est contrarium bono ratione sui, nego; est contrarium bono ratione actus adiuncti, concedo; & distinguo consequens: ergo malum est quædam natura formaliter ratione sui, nego; ratione actus, quem priuat debita rectitudine, concedo. Malum morale formaliter cum sit priuatio boni, non opponitur bono contrariè, sed priuatiue; sed cum sit priuatio adiuncta actui habenti speciem à fine, ratione actus, cui aduenit, opponitur bono contrariè, & ratione actus est quædam natura, & quoddam ens. Malum igitur formaliter est priuatio, & non est quædam natura: at malum materialiter, siue actus, qui per priuationem debitiæ rectitudinis constituitur malus, est quædam natura, vt magis explicabitur in tractatu de peccatis, quæst. 30. Aristoteles dicens malum opponi bono, non solum priuatiue, sed contrariè, loquitur de malo sumpto materialiter, non de ipsa formali malitia. Et quia inter contraria datur medium, & datur regressus ex vno contrario ad aliud, ideò dicit, quod inter malum, & bonum præsertim morale, datur medium, & potest quis postquam ex bono factus est malus, iterum fieri bonus, cum ex priuatione non detur regressus ad habitum. Neque enim cæcus naturaliter potest recuperare visum. Verum plura, quæ per modum exempli Aristoteles dicit in Prædicamentis, alijsque libris logicæ, dicit non tam ex propria sententia, quam ex receptis opinionibus antiquorum, vt cum Sancto Tho-

Tho.

Thoma diximus in resp. ad 1. num. 20. Ideò his defendendis non est immorandum.

22. Ad 3. in quo quaeritur, quo pacto malum, si non est natura quaedam, agat, & corrumpat bonum. Respondet Sanctus Thomas, quod agere potest sumi tripliciter, nimirum, formaliter, adiuuè, finaliter. Hoc posito, priuatio potest agere formaliter, eo pacto, quo cœcitas formaliter se ipsa aufert visum: ergo non est mirum, quod malum etiam, in quantum est priuatio formaliter se ipso excludat bonum oppositum. At priuatio efficienter non agit ratione sui, sed ratione formæ adiunctæ, eo pacto, quo priuatio frigoris in aqua calefacta potest efficienter calefacere ratione caloris adiuncti: & sic etiam malum peccati potest agere efficienter ratione actus adiuncti, cui inest talis priuatio priuans actum debita rectitudine morali. Rursus malum ut malum non potest agere, & mouere finaliter ad operandum, quia nemo intendens ad malum operatur: at ratione boni adiuncti potest finaliter mouere ad operandum, eo pacto, quo malum peccati ratione voluptatis adiunctæ actioni peccaminosæ mouet ad peccandum.

24. Ad 4. Ex principiis positis, distinguo maiorem: quod per se, & ratione sui spectat ad perfectionem vniuersi, est natura quaedam, concedo: quod per accidens, & ratione boni adiuncti spectat ad perfectionem vniuersi, est natura quaedam, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Malum spectat ad perfectionem vniuersi, non per se, & ratione sui, sed solum ratione boni adiuncti, ideoque secundum se non est formaliter ens, & natura, sed solum habet adiunctum sibi aliquod ens, & aliquam naturam.

25. Ad 5. Iam num. 13. 14. & 15. dictum est malum ita esse in rebus, ut non sit ens, neque pura negatio, sed priuatio. Hoc autem significat Dionysius citatis verbis dicens, quod malum distat ab existentibus, quia nimirum non est ens, ac distat etiam à non existentibus, quia non est pura negatio, sed priuatio connotans ens, & bonum, tanquam subiectum, in quo est.

26. Ad 6. Respondet Sanctus Thomas art. 2. quaest. 48. in resp. ad 2. malum esse ens, in quantum ens significat verum, non autem esse ens, in quantum ens significat entitatem, quæ diuiditur in decem prædicamenta. Iam omnes priuationes primo modo sunt ens, & sunt in rebus, puta cœcitas verè dicitur esse in oculo. At priuationes secundo modo non sunt ens, quia non sunt entitates. Doctrina autem hæc, quod ens dicatur duobus modis explicatis, desumpta est ex Aristotele 5. Metaph. tex. 14. Addit Sanctus Thomas: *Propter huius distinctionis ignorantiam aliqui considerantes, quod aliqua res dicuntur mala, vel quod malum dicitur esse in rebus, crediderunt, quod malum esset res quaedam.*

27. Ad 7. Distinguo maiorem: Deus facit,

quod est melius formaliter respectu totius; concedo: materialiter, & quoad singulas partes, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Deus facit melius respectu totius vniuersi; sed ad perfectionem vniuersi spectat, ut dentur omnes gradus, ac ordines rerum, ac proinde ut non solum dentur incorruptibilia, & non potentia deficere; sed etiam corruptibilia, & potentia deficere: ergo Deus debet facere etiam corruptibilia, ac potentia deficere. Et quia prouidentia non est naturam destruere, sed saluare, ideò Deus aliquando permittit, ut naturaliter corruptibilia corrumpantur, potentia deficere deficient, & sic eueniant mala corruptionis, defectus &c. Rursus, ut dicit S. Augustinus in Enchiridio cap. 10. *Deus est ita potens, quod etiam bona potest facere de malis;* ergo non debet impedire multa mala, sine quibus non essent multa bona, quibus vniuersum valde perficitur. Ut enim dicit Sanctus Thomas *non generaretur ignis nisi corrumpetur aer, neque laudaretur iustitia vindictina, & patientia sufferens, si non esset iniquitas.* Sed hæc magis explicata sunt supra quaest. 55.

28. Ad 8. Dionysius dicens malum non esse in existentibus, negat solum malum esse in existentibus, tanquam partem, vel proprietatem rei naturalis existentis: at non negat malum esse in rebus existentibus, tanquam priuationem priuantem rem existentem aliquo bono.

29. Ad 9. distinguo maiorem: contrarium auferens aliud contrarium, non est in contrario ablato, tanquam in subiecto, concedo; contrarium non auferens aliud contrarium, sed illi nocens, idque priuans aliquo bono, non est in alio contrario, tanquam in subiecto, nego maiorem: concedo minorem; & nego consequentiam. Dupliciter vnum potest dici contrarium alteri, primo tanquam illud auferens à subiecto communi, eo pacto, quo calor est contrarius frigori, quia calor frigus expellit à subiecto receptiuo caloris, & frigoris. Contrarium in hoc sensu non est tanquam in subiecto in alio contrario, quod auferit, puta calor non est in frigore, tanquam in subiecto. Secundo vnum dicitur contrarium alteri, tanquam illi nocens, illudque priuans suo bono. In hoc sensu calor est contrarius aquæ, in quantum nocet aquæ, eamque priuat suo bono, hoc est suo frigore naturali. Malum igitur non est tanquam in subiecto in bono, quod expellit à subiecto, sed est tanquam in subiecto in bono, cui nocet, in quantum illud priuat suo bono: puta malum febris licet sit contrarium animali, est in animali tanquam in subiecto bono, cui nocet, priuando animal bono sanitatis.

30. Ad 10. concedo, quod illud, quod est bonum secundum suam naturam recipiens malum, constituitur malum per malum adiunctum, quod non repugnat. E. gr. Angelus ita est bonus secundum naturam, ut per pecca-

peccatum adiunctum euadat malus malo culpa. Non autem repugnat, ut idem sit bonum bono naturæ, & sit simul malum malo culpa. *Isaias dicens: Vae qui dicitis bonum malum, loquitur de ijs, qui dicunt esse mala, quæ verè non sunt mala, sed bona, ut cum quis dicit hominem iustum, & bonum esse iniustum, & malum, vel mendacium, quod est malum asserit esse bonum, aut actum liberalitatis, qui est bonus, esse malum.*

31. Ad 11. iam dictum est malum non minuere bonum, cui inheret tanquam subiecto; ergo non est mirum, quod illud totaliter non corrumpat.

QVÆSTIO CXXIV.

Virum malum sufficienter diuidatur per culpam; & utrum culpa sit maius malum, quam pena?

3. Th. q. 48. a. 5. & 6.

1. Videtur malum non sufficienter diuidi in culpam, & pœnam: primò enim res carentes ratione, ac præsertim bruta animalia possunt pati plura mala doloris, vulnèrum, mortis; sed bruta non sunt capacia culpa, & proindè neque pœnæ, quæ connotat culpam, illamque supponit: ergo.

2. Secundo si dicatur, quod dum malum diuiditur in culpam, & pœnam, diuiditur malum, non absolutè, sed in quantum est malum agentium voluntariorum, contra est, quia etiam agentia voluntaria possunt pati multa mala, quæ neque habeant rationem culpa, neque pœnæ; puta homo in pura natura posset pati mala morborum, mortis &c. quæ neque essent culpa, neque pœna.

3. Tertio Adam, dum fuit tentatus à muliere, mulier à serpente, passus est malum tentationis; sed tentatio illa respectu Adami non habuit rationem culpa, quia præuenit culpam, neque habuit rationem pœnæ, quia pœna non infligitur ante culpam, sed post: ergo.

4. Quarto ex Augustino in Enchiridio omne malum nocet; sed omne, quod nocet, est pœnale; ergo omne malum est pœnale, ac proindè malum culpa includitur in malo pœnæ.

5. Respondeo, quod ex dictis quæst. superiori, num. 13. malum est priuatio boni; sed bonum simpliciter est obiectum voluntatis; ergo tum bonum, tum malum simpliciter dicuntur respectu creaturarum rationalium, quæ sola habent voluntatem. Dum igitur querimus, utrum malum diuidatur sufficienter in malum culpa, & pœnæ, querimus, utrum malum spectans ad creaturas rationales, & habentes voluntatem, sufficienter diuidatur in malum culpa, & pœnæ.

6. Dicendum cum Sancto Thoma: ma-

lum proprium rerum rationalium, & habentium voluntatem, sufficienter diuiditur in malum pœnæ, & culpa.

Probatum primo: nam sola rationalia, & habentia voluntatem sunt capacia culpa, & consequenter sunt capacia pœnæ, quæ puniuntur propter culpam: ergo malum proprium rerum rationalium, & habentium voluntatem, diuiditur sufficienter in pœnam, & culpam.

7. Probatum secundo: nam agentia rationalia possunt moraliter deficere in suis actionibus liberis, & quarum habent dominium, ita ut liberè omittant operationes debitas, vel faciant operationes carentes debita restitidine; sed hoc est malum culpa; ergo. Rursus per culpam merentur malum pœnæ, quo priuentur sine debito, nimirum felicitate, & alijs bonis debitis; ergo proprium rerum rationalium est etiam malum pœnæ. Mala, quæ neque habent rationem culpa, neque pœnæ, possunt etiam conuenire rebus irrationalibus, ac proindè non sunt propria rationalium.

8. Adde culpam consistere in hoc, quod quis voluntariè, & liberè faciat malum, quod debet non facere: pœna autem consistit in hoc, ut inuoluntariè, & contra suam voluntatem patiat malum, quod non vult, aut priuetur bonis, quæ maximè vult, & præsertim ultimo fine, hoc est felicitate. Sed de his magis ex professo agendum in tractatu de peccatis.

9. Articulo sexto quæst. 48. querit Sanctus Thomas, utrum habeat plus de ratione mali pœnæ, quam culpa. Sed quia de hac quæstione ex professo disputauimus in tractatu de peccatis quæst. 34. nihil hic est addendum.

10. Ad 1. concedo, quod res irracionales possunt pati multa mala, quæ respectu ipsarum neque habent rationem culpa, neque pœnæ. Sed iam num. 5. dixi, quod hic agimus non de malo communi etiam rebus irrationalibus, sed de proprio rerum rationalium habentium voluntatem, & hoc solum asserimus sufficienter diuidi in culpam, & pœnam.

11. Ad 2. concedo, quod res etiam rationales, in quantum conueniunt cum rebus irrationalibus in hoc, quod possunt physicè deficere à suo bono, possunt pati aliqua mala, purè physica, quæ neque habeant rationem culpa, neque pœnæ. Solum igitur asserimus, quod in quantum creaturæ rationales differunt à rebus irrationalibus in hoc, quod possunt deficere moraliter, sunt capaces mali specialis, quod diuiditur in malum culpa, & malum pœnæ, ut explicatum est. Adde, quod de facto mala physica mortis, morborum, dolorum &c. quæ patimur, sunt pœnæ peccati originalis, vel peccatorum personalium.

12. Ad 3. Tentatio Adami, si Adam non consensisset, non illi nocuisset, sed profuisset, ac proindè non habuisset rationem mali, quia verò consensit, habuit rationem culpa, ac proindè in quantum fuit mala, & nociua, fuit